

am ire liceat, si is à Pontifice Romano admissus sit; (5.) Adversariis quoque facultatem Scripturâ contra suam hanc religionem utendi, quantum fieri potest, eatenus tamen eripiendam esse, ut magis inde tegatur quam manifesta fiat ratio Scriptura utendi profundanda religione sua: Quod non fieri posset, S. S. literarum usum ex manibus iis excutiendo, sed potius restringendô, Papæque subjiciendo. Quod uti exemplis indubie confirmare in promptu esset, ita facile cogitari potest, certam definitamque sententiam de usu rationis in argumentis Theologicis, Pontificiis in univèrsum facile tribui vix posse.

§. 4. Scholasticos quidem, circa Articulos fidei, ab Ecclesia sua jam constitutos atque sancitos ratione admodum abuti, cordatiores Theologi hætenus abunde notarunt. Indignabundus de hoc conqueritur B. Dürrius in Orat. de ratione feliciter versandi Theologo in Phil. vet. pariter ac rec. lect. p. 23. *Qui ab illis (inquit, Scholasticos indigitans) speres verum & sincerum Philosophiæ in Theologia usum, qui Aristotelicis Præceptis S. S. Theologiæ dogmata illustrare conantur? &c.* Idem in iis taxavit è Calvinianis Anton. Sadeel, quando in præfat. de Methodo disputandi, recensurus singulos errores ac defectus Philosophiæ Scholasticæ, scribit: *Primus error Scholasticorum is est, quod solent ex principiis Logicis disputare atque inde arcessere suas, conclusiones; itaque propositis questionibus non Sacre Scripturæ locos, sed ut plurimum axiomatica Logica & Maximas Topicas, aut eo etiam aliquid minus substernunt, in eorumque disputationibus S. Scriptura muta est.* Hoc ut exemplis demonstraret B. Balth. Meisnerus, pariterque ostenderet, quam sæpe in regulam illam bonorum disputatorum, quam tradit, *disputandum esse de rebus cognoscibilibus*, impigerint Scholastici, in hæc verba diffunditur, Philos. Sobr. P. I. S. 1. q. 6. *Contra quam regulam (modo adductam) peccabant olim Scholastici, sublimissimum Trinitatis mysterium temere ad rationis trutinam examinantes, & de Hierarchiis atque Ordinibus Angelicis prolixè disputantes.* Conf. B. Calovius Syst. Theol. Cap. III. qv. VI. it. de Meth. disp. p. 797. &c. Imo quomodo Aristotelicis præceptis S. S. Theologiæ dogmata illustrare conati fuerint Scholastici, ad oculos demonstrant excerpta, quæ ex Prologo